

76/2

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
**CORTICEM CHINAE**  
HISTORICE, CHEMICE  
E T  
PHARMACOLOGICE CONSIDERATUM.  
QUAM ANNUENTIBUS  
MAGNIFICO DOMINO  
PRAESIDE ET DIRECTORE,  
SPECTABILI DOMINO DECANO  
A C  
**CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS**  
PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE  
RITE CONSEQUENDO  
IN ALMA AC CELEBERRIMA  
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT  
*CAROLUS LITSAUER,*  
Hungarus ex I. Comitatu Posoniensi.

---

Theses adnexae publice defendantur in Palatio Universi-  
tatis majori die 28. Augusti 1824

---

B U D A E ,

EGIAE UNIVERS. HUNGARICAE.

BOTANISCHES INSTITUT  
der Universität Wien

J.-Nr. 9650

Bibliothek

Sign. 4 176/7

BOTANISCHES MUSEUM  
der k. k. Universität.

J.Nº 4650

B

~~6.42/36~~  
~~10186/12~~

P A T R I

NON NECESSITATE SOLUM, SED ET

BONITATE TALI.

OPTIMO, TENERRIMO, CHARISSIMO.

TENUES HAS STUDIORUM PRIMITIAS

I N

PERPETUUM JUSTAE VENERATIONIS,

GRATISSIMI ANIMI, TENERRIMIQUE

AMORIS FILIALIS OBSEQUIUM

SACRAS ESSE VULT.

GRATISSIMUS FILIUS

AUCTOR. —



## O p t i m e P a t e r !

Dissertationem inauguralem, utpote supremum laborum academicorum Specimen conscripturus, ex vastissimo Medicinae corpore *Corticem Chiae* seligere mihi visum est: partim quod natura ejus chemica ultimis imprimis decenniis sit penetrata, partim vero, quia medica ejus in organismum individualem virtus novissimis temporibus plurimis locupletata sit observationibus; hinc idem objectum respectu imprimis chemico, pharmalogico, atque therapeutico describere satagebam.

Hosce vero exiguos conaminum meorum fructus TUO nomini charissimo incscribere et proprius sanguinis vinculum, et grati animi officium, quo TIBI devinctus sum, expetebant. TUA unius

ope enim ac impensa factum esse palam confiteor,  
me omnia vitae deinceps degendae, et saluti ae-  
grorum impendendae commoda nactum esse.

Aequo itaque animo, placido vultu, libens-  
que pagellas has Nomi*n*i TUO praedulci inscri-  
ptas accipe charissime Pater! exiguum licet, tuis-  
que, in me collatis beneficiis longe inferius mo-  
nimentum; perennius cordi meo amor, pietasque  
insculpserunt, quod nullae unquam temporum  
vices abolebunt.

Vale!

Tu*j* observantissimus filius, et

*Auctor.*

---

## C a p u t   I.

### Descriptio Chinae historico

phisiographica, ejusque investigatio chemica.

**C**inchona, arborum genus in America media, meridionali, australique crescens; cum primis in Quito, Peru, circa Loyam vel Loxam, super Cuenca, rarius in vallibus, aut ad fluviolos, frequentius in montosis partibus detegitur. Optima ejus Species in montibus Pillao crescere traditur. *Cel: Ruiz* vidit arborem florentem in monte *Cuchero* in Provincia *Panatahnas*. Vires Corticis hujus arboris medicatae fortuito casu detectae fuerunt, cum scilicet teste *Haller*, Barbari ex aqua lacuum potata, in quibus trunci arborum macerabantur, a febre intermittente liberati fuissent. — Celebre vero nomen a *Linnaea* imperitum erat in gratiam Comitissae del Cinchon conjugis Peruviani Proregis, quae anno 1638. usu hujus corticis e pertinaci convaluit febre. — Ab anno 1640 ad 1648 in *Europa*, praecipue in *Hispania*, et *Italia* per Societatem Jesu, ordinem suo tempore magnae Celebritatis, magnique influxus in culturam mentis humanae divulgabatur. — Acres tamen mox ortae sunt lites, cum Medici Hispani, *Galen*o addicti ejus usum pertimescerent. Omnem vero lapidem moverunt *Cel. Sydenham*, et *Mertonius*, sua auctoritate magis universalem reddendo corticis febrifugi usum. Propugnatam in Italia. a *Ramazzino* Chine efficaciam *Zendrini* a) eximius *Torti*, et *Werlhof* b) in emolumentum generis humani vindicarunt.

a) Trattato della China, con una prefazione intorno ai pregiudizy, che corrompono l'arte medicinale, col modo piu Severo d' apprenderla. *Venez*, 1705.

b)

b) S. P. Werlhofs auserlesene Schriften über die Fieber. Kopenh. 1785.

A longo jam tempore naturae scrutatores disceptarunt de *planta genitrice* Chineae corticem suppeditante. Secundum Systema vegetabilium naturale *Cinchona* ad familiam pertinet *Rubiacearum*; secundum Caroli a Linnee Systema ad Pentandriam Monogyniam refertur. *Character genericus* secundum *Dierbach*: Calyx campanulatus,  $\xi$ - dentatus, Corolla infundibuliformis, limbo quinque-partito, ut plurimum hirto. Capsula oblongo-rotunda, bilocularis, bipartita, dissepimento paralello. Semina eopiosa, compressa margine membranaceo.

Varia eautem innotuerunt *Cinchonae* species ex America advectae, quarum manca per longam Seriem notio, recentiori praepriinis aevo ad majorem perducta est perfectionem indefessis scrutiniis celebrium rei herbariae Cultorum: Claris: *Mutis Humboldt*, et *Bompland*. Omnim optimus esse traditur *Cortex Chineae Aurantiacus*, quem *Cinchona Condaminea* juxta *Humboldt*, *Cinchona officinalis* Lam. (Wahrer China Baum) suppeditat. Arbor haec Corticem praebet qui interne coloris est obscure aurei, quem humectatus, aut in pulverem redactus adhuc intensorem ostendit, saliva quoque manducatus communicat, sapore gaudet amaro aromatiko, non adstringente. Ab incolis Americae hispanicae *Cascarilla fina* vocatur; est carissima et in Patria sua; crescit in montibus circa Loxam, et in Peru; ad nos nunquam defertur (Delineat *Humboldt plant. aequinoct.* 1. pag. 33 tab. 10;).

Inter Cortices Chineae in nostris pharmacopoeis obviis primum certe locum tenet *Cortex Chineae fuscue*, *Cortex Chineae peruvianus*, etiam *China Loxae dictus*: *Braune China-Rinde*: *Gewöhnliche China - Rinde*. Arbor hunc Corticem subministrans nondum satis est definita. Adducuntur a *Ruiz Cinchona nitida*, a *Mutis Cinchona lancifolia*, a *Lamark Cinchona Coriacea*. Chinabaum mit glänzenden Blättern. Patria traditur St. Domingo. (Delineatur ab *Ruiz et Pav. Flor. Peruv. vol. 2 pag. 50. tab. 191.*) *Humboldt* vero derivat ab *Cinchona scrobiculata*: *Chinabaum mit grubigen Blättern*, quae habitat in Peru, cum primis in Provincia Jaen de Bracmorros, ubi integrae Silvae exstant. (Delineat *Humboldt plant. aequin. 1. p. 165. tab. 47.*) Interim a variis Cincho-

chonae speciebus colligi, et aliarum quoque arborum corticibus, Weinmanniae praecipue, uti refert Cel. *Bompland*, misceri, sicque nobis tradi verosimillimum est. *Cortex* hic ubi genuinus fuerit, in frustis occurrit plus minus convolutis, a calamo scriptorio ad digitum crassis, plures pollices longis, duris, siccis, fractu difficilibus, externa horum facies est scabra, lichenibus griseis notata, cuticula fusco nigricante obtecta; interna vero facies est *Coloris cinnamomei* subfuscā, flavescens, aut ex ferrugineo fusca. — Fracturam ostendit laevem, et splendidam, quae Solis radiis obversa, in medio inter epidermidem, et stratum internum puncta ostendit splendida. Saporem habet aromatico amarum, modicissime adstringentem, specificum, odorem proprium mucidum, sub aromaticum; pulverem largitur cinnamomeo similem. Selecta ejusmodi *Corticis* frusta nomine *Corticis Quinquinae* veniunt. Proprietates adlatae sensibiles ad aestimandam *Corticis* bonitatem non sufficiunt, quod multum ab individua arboris conditione, ab siccationis, et conservationis ratione dependet. Quare et chemici characteres in auxilium vocandi sunt, qui secundum investigationem Cel. *Buchholz* sunt: Infusum *Corticis Chinae* fusi aquosum frigidum vix est tinctum, vel ex pallido subflavescens saporem habet amarum, adstringentem, ex decocto Gallarum lucido sedimentum separat roseo-griseum. Decoctum ejusdem *Corticis*, donec calet, ex fusco rubicundum est, et exploratum Charta coerulea, acidum manifestat liberum; ubi refrigeratum est, turbatur, colore induit pallidiorem, ex rubro-flavescem, et ipsius *Corticis* sapore, ac odore gaudet. Si decocto, Gallarum decoctum admisceatur, sedimentum oritur copiosum roseo-griseum, si solutio Gelatinæ animalis ex pallido rubro flavescens, si solutio Ferri sulfurici amoene viride, si Tartarus emeticus in aqua solutus, ex flavo album subgriseum deponitur sedimentum.

Alter est *Cortex Chinæ flavus*, seu *luteus*, vel *regius* e *Cinchona officianali* Linn. *Cinchona pubescente* Vahl, *Cinchona ovata* Ruiz, et Pavon, *Cinchona cordifolia* Mutis depromptus. Gelbe Chinarinde, Königsrinde. Arbor hunc *Corticem* subministrans patriam agnoscit Americam Hispanicam, (Delineatur in flor. Peruvian. 2. t. 195.) Drogistæ differentiam ponunt inter Chinam regiam, et flavam quae tamen vix essentialis, magis lucecri

cri gratia fit. Occurrit hic Cortex in frustis communiter majoribus, quam China fusca, planis, parum incurvatis, quibus tenuiora, minora, aliquantum convoluta intermixta frequentius sunt. Epidermide sua fusca lichenibus notata vix non semper orbatus, superficiem exhibit externam cinnamomeam, texturae spongioso-granosae, internam lucidam, manifestius fibrosam, quae luci obversa moleculas ostendit splendidas. Pulvis ex Cortice obtentus est cinnamomeo similis, cutemve humanam lateo tingit colore. Odor hujus Corticis est magis aromaticus, quam caeterarum specierum, sapor aromatico-amarus, minus adstringens. Characteribus chemicis sequentibus distinguitur: Infusum ejus est limpidum, aliquantum ex rubro-flavescens, ab admixto decocto Gallarum sedimentum deponit copiosum pallidum flavo-griseum. Decoctum, donec calet minus est obscurum, quam Chinas fuscae; ubi refrigeratur, colorem accipit pallide flavum, aliquantum rubescentem; ab addito Gallarum decocto sedimentum largum, ex roseo-flavescens, ab Ferro sulfurico soluto plumbeo-griseum; ab solutione Gelatinæ animalis ex rubro flayum, uti et a Tar-taro emetico tardius licet deponitur.

*Cortex Chinæ ruber*, seu *Hispanicus*. Spanische Chinarinde, derivatur ab *Ruiz*, et *Pavon* e *Cinchona Grandifolia*, ab *Mutis* e *Cinchona oblongifolia*, *Grossblätteriger Chinabaum*, arbore novae Granadae. (Delineatur in flor. Peruvian, 2. t. 196. Alibert des fiévres a lax, 2.) Hic Cortex in frustis occurrit magnis, latis, crassis, incurvatis, Colorem possidet ex fuso-rubescen-tem, atque tribus componitur stratis, ita ut externum sit tenue, asperum, rugosum, rubro-fuscum, aut ab Lichenibus, quibus notatur griseum; stratum medium quidquam crassius est, obscurius, fragiliusque, internum vero fibrosum. Odorem nullum, saporem amarum, valde adstringentem habet. — Frigidum ejus infusum pallidum rubescens, cum Gallarum decocto sedimentum ex rubro album producit. Decoctum calidum valde rubet, refrigeratum turbatur, coloremque mutat in aurantiaco-rubrum, cum Gallarum decocto sedimentum ex rubro flavum copiosissimum, cum solutione Gelatinæ lateritium, cum Ferro sulfurico viride, aut subviride, cum Tartaro emetico flavo-rubescens, pallidum deponit.

Praeter enumeratas Chine species, quarum frequentissimus est usus, plures adhuc in medicorum usum veniunt, rarius tamen; in multis Germaniae Provinciis nunquam adhibentur. Inter hos memorari merentur: *Cortex Chine delicatae*, quem *Cinchona delicata* frutex montium Americae australis largitur occurrit in tubulis convolutis, calatum scriptorium crassis. — *Cortex Chine sanctae Luciae*, St. Lucien-Rinde, ab *Cinchona floribunda* Vahl et Schwarz. ab *Cinchona montana* Bandier, Exostemma floribunda, Bergchinabaum, arbore Sanctae Luciae, Domingo, Martinique derivatur, (delineatur ab Usteri magazin der Botanik pag. 96. tab. 3.) teste Hagen externe rubrofuscus, interne nigrofuscus, in fractura recenti fibras exhibit longas, saporis est ab initio aromatici, deinde summopere amari. — *Cortex Chine Tecamez*, *Cortex Chine Atacamez* ab arbore Americae meridionalis circa Atacamez crescente, in tubulis longis a pollice dimidio ad integrum crassis, cum epidermide tenui, Cortici intime adnata, ex fusco-viridi, maculis dum et quando albis notata occurrit. Sapor ejus est amarus, non ingratus, parum adstringens. Pulvis colorem aurantiacum induit, odorem spargens aromaticum. — *Cortex Chine corymbiferae* venit ab *Cinchona corymbifera* Linn. arbore in Tongatabu et aliis insulis maris pacifici crescente. Hic Cortex valde est amarus, et adstringens, apud nos raro deprehenditur. *Corticem Chine Sanctae Fé* praebet *Cinchona grandiflora* Ruiz et Pavon, *Cinchona Macrocarpa* Vahl; *Cinchona ovatifolia* Mutis, Grossblumiger Chinabaum. Arbor in Sancta Fé, et Peru crescens (Delin Ruiz et Pavon Flor. peruv. vol. 2. tab. 198.) juxta aliquos est albus, juxta alios rubescenti-flavus. — *Cortex Chine angustifoliae* venit ab *Cinchona angustifolia* Swarz invenitur in Domingo (Delin. Lambert, Genus Cinchonae pag. 29. tab. 9.) est crassus, fucus, saporis aromatici adstringentis. — *Cortex Chine caribaeus* desumitur ab *Cinchona carabaea* Linn. arbore insularum Caribaearum (delin. Jacq. observ. botan. 2. pag. 21. tab. 47.) occurrit in frustis convolutis 5-6 pollices longis, externa superficies flavescens, interna nigrofusca lichenibus obiecta est. Sapor ab initio est dulcis adstringens, dein nauseosus, odor aromaticus, cinnamomeus. — *Cortex Chine lutescens*, cuius genitrix est *Cinchona lutescens* Ruiz arbor Americae australis,

lis; in frustis convolutis advehitur; externe est glaber, interne coloris cinnamomei, fracturae fibrosae, saporis subaromatici, amari. — *Cortex Chinæ brasiliensis*, a *Cinchona brasiliensi Willd.* veniens frusta refert plana, tenuia, externe glabra, interne obscure fusca, odoris est mucidi, ingrati, saporis nimis amari. — *Cortex Chinæ glabrae*, *Cortex Chinæ martinicensis*, *Cortex Chinæ brachicarpae*. *Chinæ Spinosæ*, *Cinchonæ Bogotensis* minus noscuntur. — *Cortex Chinæ surinamensis* vulgo *China nova* a genuina, tum quoad partes constituentes, tum quoad effectum penitus diversa est.

Analysis Chinæ chemica perfecta nondum habetur, licet chemicorum series multum insudaverit. Eorum quoque, quorum exactiorem cognitionem habemus, recentiorum Chemicorum diligenti analysi in acceptis referendam habemus, quos inter eminent *Vouquelin*, *Fourcroy*, *Schrader*, *Bucholz*, *Fabbroni*, *Pfaff*, *Plletier*, *Caventou*. — Omnibus comparatis sequentia Cinchonæ Cortici tribui possunt Elementa: 1) *Materia chinacea*. *Cinchonicum*, amarum *Cinchonium Reusz*. China-Stoff *Pfaff*, substantia haec medium tenet locum inter principium extractivum amarum et resinam: est sicca, fragilis, fusca, saporis amari, non tamen adstringentis; in fervida aqua facile solvit, ex qua refrigerata mox iterum secedit. In Alchole quoque facile solvit. Sales Ferri oxydatos e solutione praecipitat colore nigro-viridi; materiam Gallarum adstringentem colore flavo, aut rubro; Tartarum emeticum vi sua emesim provocandi spoliat. Solvit in acidis mineralibus quoque, si vero Oxygenio uniatur, solubilitatem et amarorem perdit. - 2) *Acidum Chinicum*, occurrit plerumque Calci unitum, tuncque Salem refert, qui Alcoholis beneficio ex Extracto Chinæ aquoso praecipitatus, dein in aqua solutus, et evaporatus crystallos refert rhomboidales insipidas, Alchole insolubiles, aqua facile solubiles. Acidum chinicum ad certum gradum evaporatum crystallos refert foliaceas, saporis intense acidi. Teste *Pfaff* maximam alit similitudinem cum Acidis oxalico, tartarico, malico. 3) *Materia Scytodephica*. *Tannina* cum chinacea mixta. 4) *Principium volatile*, quod secundum *Fabbroni* et *Tromsdorff* Oleum est aethereum. 5) *Resina* obtinetur ab extractivo non quidem penitus libera, si Tinctura Corticis ad consistentiam Extracti tenuioris evapore-

poretur, et aqua destillata addatur; praecipitatur tunc pulvis flavescenti-fuscus (Chinaroth Reusz). Est sine odore; aqua pro parte, alcohole tota facile solvitur. 6) *Mucus vegetabilis, seu Gummi.* 7). *Fibra lignea* 8. 9. *Cinchonina*, et *Chinina* Bases suae speciei (Alcaloidea vegetabilia) a Pelletier et Caventou separatae, a-natica fere quantitate Chinae rubrae, Cinchonina praevalente in China fusca, Chinina in China flava comites essentiales sub praeparatis considerabuntur. Proportio tamen, et ratio unionis harum materiarum specificarum variat pro diversitate speciei.

Uti de partibus constitutivis. ita et de principio activo multum disceptarunt inter se medici. Nonnulli antifebrii ejus vires in acido chinico (*Deschamps*) alii in materia chinacea (*Chretien*), alii plane in fibra lignea difficulter digerenda (*Autenrieth*) quaesiverunt, major probabilitas pugnat pro opinione, quae eminentem efficaciam Cinchonico tribuit, quo *Sprengelius* (Institut. Pharmacolog. vol. 2. §. 205.) sublatam vis sensiferae, ac energiae indifferentiam restitui, energiam imminutam augeri, facultatis contra sensiferae augmentum imminui contendit. E Medicorum observationibus ultimis activa Chinae Corticum pars videtur esse Basis utraque: Cinchona et Chinina: utraque quidem quantitate minima febres intermittentes tuto et secure sanat.

## C a p u t II.

### Corticis Chiae actio ejusque usus.

**A**ctio Corticis Chiae est *roborans, densans*, quod effectibus ejus usum insequentibus evincitur: in processu enim vitali vegetationem imprimis exaltat, materiae organicae, quae inde formatur, facultatem plasticam, ejusque in cohaesionem nisum intendit, hisque humorum coa-

coagulum, et solidorum robur auget, incitationi stimulum validum, reactioni vim et constantiam addit, sensitatem morbosam compescit, ut itaque ubi materiae organicae metamorphosis aut retinetur, aut praecipitatur, vis materiae plasticae atque in cohaesionem nisus inminuitur, unde dein producta vegetationis majorem fluiditatis gradum, solida vero teneritudinem, laxitatem, mollitatem, et vigens in cunctis his processus vitalis infirmitatem contrahunt, nullum existat remedium, quod in processu vitali vegetationem magis exaltet, atque materiae organicae majorem conciliat vim plasticam, et nisum in cohaesionem, ac Chineae Cortex. Cum tamen eo majora quoque inferre possit damna, quo efficacius est hoc remedium, si perverse adhibitum fuerit, ad sequentia semper respiciendum erit momenta. ut Cinchona tuto et felici successu adhiberi possit: 1) ad ea, quae Corticis febrifugi usum absolute vetant. 2) ad illa, quae ejus usum absolute necessarium reddunt. 3) ad modum exhibendi.

Momenta quae Cortis Chineae usum vetant, seu *contraindicationis* sequentia potiora sunt: Vitalitas aucta praesente qua nocet China: Hypersthenia nempe, incitatio aucta, diathesis phlogistica sive universalis, sive topica, plethora, febris inflammatoria intensior corticem contraindicant; sunt vero hyperstheniae signa: corpus robustum, succis plenum, plethoricum; cutis calida, rubra, humidula, facies rubra, oculi splendicantes; pulmones oppleti, respiratio calida. Hic cortici nullum esse locum observatio omnis aevi, et ejus cognitio docet. *Summus debilitatis gradus*, seu *vitalitas depressissima*, qua fit ut necessaria desit in hoc remedium reactio vitalis. Hanc dijudicat medicus e motuum vitalium, et animalium ordine, atque gradu, praecipue vero respiratione ac pulsu. Huc porro spectat status Ventriculi, tubique intestinalis atonus, quem digestio designat tarda, pauca, debilis, cum evacuationibus alvi tardis, siccisque. Absint itaque Stimuli materiales nimii, uti status gastricus, sordes tubi intestinalis retenti, abdomen longius obstipatum, viscerum abdominalium infaretus, et hydropismus, v. extrema eorum debilitas, imbecillitas, aut sensibilitas. Contraindicant Chinam porro viscerum pectoralium excedens sensibilitas, inflammatio eorum acuta, chronica, organisatio vitiata, defectus apyrexiae perfectae, typus proin

subcontinens, febris intermittens spuria, qualis v. g. est hectica phthisicorum, nisi Chinam scopo roborante dare scopus esset. Rarissimi certe sunt Casus, ubi nullo prorsus respectu ad dicta momenta, Cinchonae divinas dotes implorare absoluta urget necessitas, uti in febri perniciosa, e. c. instanti vitae periculo juncta. — E duobus malis tunc minus est eligendum. Menstruatio, graviditas, puerperium Corticis usui non obstant, dummodo debita circumspectione ejus dirigatur usus (Val. *Hildenbrandt* Instit. pract. medicae.)

*Damna*, quae praematuram, ac imprudentem sine mora sequuntur Corticis usurpationem sunt: digestionis vitia, sensatio ponderis ad epigastrium, saburra pertinax, appetitus jactura, nauseae, alvi diversae anomaliae; viscerum in specie hepatis et lienis emphraxes, icterus, hydrops, oppressio pectoris, anxietas pulsus irritatus, musculorum debilitas; cachexia mutatio typi intermittentis in continuum, regularis in erraticum; intensior suppressae ad Speciem febris in palindromem propensio; febricula lenta. — Interim noxii hi effectus non Chine, sed pravo ejusdem usui tribuendi sunt, ut optime animadvertisit Cel. *Sydenham*.

*Indicationum momenta* sequentia Corticem Chine concernunt: Convenit scilicet peruvianus Cortex omni morbo, in quo debilitas vitalis cum vegetatione imperfектa connexa est, sive metamorphosis organica retineatur, sive major adsit in liquationem nisus. Huc pertinet. convalescentium debilitas, a morbo relictā, vel per humorum jacturam, nimiam totius organismi incitationem, vel intentionem mentis inmodicam inducta, cachexiae variae, uti scrophulosa, rhachitica, scorbutica, chlorosis, hydrops etc. Indicatur porro in evacuationibus et profluviis nimiis, abnormibus, quae existentiam suam debilitati debent uti: in Diarrhoea, Dysenteria, Hypomesi, Cholera, Haemorrhagiis.

Series objecti ad *formas morborum speciales*, quibus China convenit, jam descendere jubet, quas serie *Classium communius* in usum vocatorum exponam. Primum campum activitatis Cinchonae sistunt *Febres intermitentes*, quibus cum primis convenire Chinam jam veneranda novit antiquitas, ita ut medicamentum princeps, et vere specificum dici omnino mereatur. Absit tamen, quod apprime est notandum, diathesis omnis inflama-

flamatoria, spastica vasorum capillarium affectio, abnormis status systematis venae portarum, infarctus viscerum abdominalium, saburrarum Congeries, cutis siccitas, organorum respirantium debilitas. Si alterutrum horum adsit, post usum Corticis mutatur typus intermittens in continuum, aut alii exoriuntur morbi chronicci uti hydrops, febris hectica etc. Quare, ne in pluribus casibus aucta experiantur aegroti gravamina, evacuantibus, stimulantibus mitioribus, aromaticis, amaris ut praeparentur, necesse est. — In illis febris intermittentis casibus, ubi omnis rerum cardo in eo versatur, ut insequens paroxysmus, qui vitae insidias struit, supprimatur, quales sunt febres intermittentes a *Werlhof.* et *Torti* (Todtentieber) descriptae, quaeve secundo, vel tertio insultu occidere solent, Cortex Chiae supremum semper tenebit locum. — Cel. *Hahnemann* solum admittit modificationem febris intermittentis; quae nullo ita facile ac Cortice sanari potest. Symptomata hujus sunt: ructus amari post esum, lingua licet pura existente; anorexia, praesente gustu normali; cephalaea, per motum augenda; sub frigore pandiculatio et oscitatio, pallor et livor ungivum, vox mutata, dolor in periosteum, sitis maxima, ad frigidum potum spurio instinctu ducens; sub calore vasorum venosorum intumescentia, rubor faciei, sudor cum primis in dorso ac cervice, urina profundius tincta, cum sedimento lateritio.

*In febris continuis* adhiberi tunc praeprimis mereatur Cortex, si remissionses longiori durent tempore, ita ut intermittentibus accedant, si sistema musculare manifesta laboret debilitate, si character illarum in putridum tendat; potentiae nocentes dynamicae praecesserunt, nullae sordes gastricae praesentes sunt; si, quae fuerant, methodo conveniente evacuatae fuerunt; pulsus mollis; cutis, et lingua madidae existunt. — Ne adhibeatur sub stadio eruditatis, aut praesente cuti et lingua secca, respiratione brevi et laboriosa, anxietate praecordiali, urina profundius tincta cum sedimento lateritio.

*In febris nervosae*, in qua nempe Systematis nervosi debilitas praevalet, stadio secundo egregium sistit remedium, imprimis si coniungatur cum Arnica, Valeriana, aethere, Vino, (*Ch. A. Held* de tempestivo Corticis peruviani usu in febris inflamm. Götting. 1775. — *Büchner* de virtute Corticis antiphil. Halae 1768) Febris ner-

nervosae malignae uti eas *Lettson*, *Sims* pluresque Angli describunt, quaeve tertio, aut quinto die lethales sunt, magnas Chinæ doses requirunt. Vel maxime vero utilis est applicatio Chinæ in stadio febris nervosae reconvalescentiae, praemissis aromaticis, roborantibusque amaris. — Utilissime quoque exhibetur in febri cum liquatione exsuperante seu in typho putrido et quidem in sic dicta synocha putrida comendant ejus connubium cum muriate amoniae; predominante vero colliquatione conjungitur cum acido sulphurico, alumine etc. (P. I. Vassapani Animadversiones de Cinchona in synochis putridis. Aug. Taur. 1779 — Argent. 1783.)

*In Peste* Cel. Samoilovitz post emeticci usum, ubi cutis incipit madere, omni media hora dimidiā exhibet drachmam cum tribus vel et pluribus granis camphorae; desuper potum dat diaphoreticum ex scordio, salvia, carduo benedicto, angelica etc. *Chenot* Corticem laudat in Peste cum charactere synochi putridi.

Febribus gastricis, inflammatoriisque generatim non convenit, non nisi post evacuationes requisitas, sufficienter procuratas; nervosis vero oborientibus symptomatis in connubio cum aromatico amaris prodesse notatur.

*Exanthematicis morbis* insigni emolumento Chinam opponi, quamprimum febris comitans nervosi vel putridi est characteris, observatum habetur. *Variolis* humanis primus hic esto locus, alioquin et serie morbi, et difficulti curatione. Cel. *Medicus* ut praeservativum svadet. Teste *Reil*. valet in morbo varioloso praesente debilitate universalī, cumprimis si subjectum aegrotans serophulosum, variolæ vero lymphaticæ sint. Non minores meretur laudes, si epidemia characterem assumat nervosum aut putridum, Commendat porro Cel. *Reit* in Variolis cum Petechiis. Cel. *Hufeland* stadio suppuratorio, et desquamatorio occurrit China. Juxta Cel. *Hildenbrandt* Cortex nunquam in initio. sed solum in provectioni morbo est adhibendus.

Pariter Morbillorum, Scarlatinae, Miliarum decursui opponi China svadetur urgentibus symptomatis nervosis aut putridis, praesertim si aeger antea jam debilis, vel per decursum morbi talis factus fuerit. Cel. *Jahn* huc refert et Anginam gangraenosam malignam, in qua Angli post emeticum largas comendant Chinæ doses. Cumprimis tamen exhibetur in stadio morborum exan-

thematicorum reconvalsentiae, et contra morbos post-humos uti sunt, debilitas diu remanens, emaciatio, febris hectica, ulcera profundius penetrantia, — Profluviis quoque et retentionibus bene opponi noscimus.

*Pneumatosi* (Tympanitidi) tunc bene opponitur Cortex, si debilitatem, atoniam, aut paralysim intestinorum pro causa habeat proxima. — Exhibitetur tunc junctus aromatibus stimulantibusve, ut cascariæ, calamo aromatico, nuci moschatae etc.

*Hydrops* serosorum morborum adminimum mole praecipuus, Chinam respuit, si is ab organorum vasorum lymphaticorum correspondentium obstructione mechanica derivetur. Si vero in pura atonia et debilitate radicetur utilis evadit Cortex. Pariter prodest China, ubi hydrops cito post suppressam transpirationem cutis, evacuationes nimis debilitantes, haemorrhagias graves, convulsiones, exanthematis retrocessionem enatus est. Porrigitur tum junctus spiritui mindereri, camphorae, oxymelli scillitico, *Lentin* exhibit vinum Thompsonianum, alii Chinam cum ligno campechiano; praeparatis martis, vitrioli etc.

*Ad profluvia mixta*, in quibus China adhibetur, spectant Cholera, Diarrhoea, Dysenteria, et Lienteria. — In morbis intestinalibus adhibendum generatim esse centent Auctores therapeutici Corticem, dum absentibus sordibus gastricis fibrae intestinalis musculares debilitate laborant eminente, — In *Cholera* seu *Emetocatharsi* (Gallenruhr), Si haec sordibus primarum viarum stiptata sit, bene exhibetur cum Tamarindis, aut Manna, vel vero cum Rheo; insuper potus atque enemata mucilaginosa, gummosa, Emplastrum Cantharidum in auxilium vocentur. — *Diarrhoeae* curandae valet, quamprimum ea non critica, a laxitate intestinalis dependet, praecipue, dum violenta aut diuturnior est. Non valet in *Dysenteriae* Statu inflammatorio, intestinalis dolore fixo continuo, tenesmo vehementi, urina pauca prae-rubra (quae symptomata dysenteriae sunt siccae) praesentibus. Non valet in *Dysenteriae* statu gastrico. Nascitur vero hic status, lingua mox ab origine morbi sordibus tecta, sapore oris ingrato, amaro, oppressione scrofuli cordis, alvi depositionibus cum levamine accedentibus, urina turbida serosa, pulsu parum alienato. Valet in statu morbi nervoso, putrido: labiis, lingua sicca, alvo

alvo copiosa in dissolutionem prona, cum typho putrido, debilitate musculari magna. Hic Chinam cum mucilaginosis, narcoticis, aromaticis exhibendam laudant auctores multi. Valet porro statu inflammatorio absente, vel imminuto, febri multum decrescente, aut nulla, lingua munda, intestinis fere paralyticis existentibus.

In *Helminthiasi* donec mucus ex intestinis evacuat non fuerit, diarrhoeas vel pertinacem alvi causat obstipationem; postquam vero vermes ex intestinis una cum muco evacuati sunt, bene datur China cum hydrargyro juxta *Heister*, vel remedium *Sellianum* e sem cynae dr. j. — Unc. j. Ext. Cort. peruv. Vitr. martis fact-dr. j. cum vel sine syrupo corticum aurantiorum quotidie Dr. j.

In morbis *Venereis* indirecta est actio *Chinæ*, quoniam debilitatem sensibilitatem exaltatas emendat, Mercurii actionem adjuvat, et auget, provocatos per abusum ejus effectus noxios lenit. Ubi itaque *Mercurius* tanta quantitate est adhibitus, ut largus ingruat saliva fluxus, qui cum totius corporis debilitate, carnium relaxatione, sudoribus profusis longiore durat tempore optimo cum eventu *Chinam* exhibemus. Secundum indicans momentum in morbis *Venereis* pro cortice est complicatio scrophulosa, quo in casu remedium a *Cel. Weikard* propositum ex *China*, *Cicuta*, *Kermete minerali*, et *Mercurio constans*, insigni cum emolumento adhibetur. Tertio, dum adest diathesis scorbutica: adsunt ulcera profunda, per usum *Hydrargyri* exasperanda. Tandem in convalescentiae stadio, et quidem optime cum lacte, praeparatis *Sulphuris*, *Salibus alcalinis*, et *Ferri praeparatis*.

In morbo *Scrophuloso* utilis evadit tam respectu praeservativo, quam et curativo. Absint tamen infarctus majores, aut errores organorum seceruentium et exceruentium; aeger sit debilis constitutionis non irritabilis, quo in casu praemittenda essent solventia, roborantia, amara. Sed et dum Corticem damus, eum conjungimus cum *Calamo aromatico*, aut *Zingibere*. *Cel. Whytt* simul exhibit *Rheum* et *Mercurium*; alii *Aconitum*, *Cicutam*. *Barytam muriaticam*. — Adhuc utilius adhibetur in *Rachitide*.

In *Phtisi* a multis medicis indiscriminatim adhibetur. Interim magna opus cautela. In *Atrophia* infantum solum tunc exhibere licet, ubi praemissis amaris,

saponaceis, purgantibus mitioribus tumores systematis glandularis dissipati, mucusque in abdomine latens evanescutus fuerit. Finem curae facit continuo Cortex. In *Phthisi nervosa* seu *Tabeidorsali* ab animi pathemate deprimente, aut evacuationibus nimiis orta, uti et in *Marasmo* supremum semper tenebit locum China; amant medici in his morbis Chinam exhibere cum emollientibus, mucilaginosisque, qualia sunt lac, salep, serum lactis etc. In febri hectica egregium sistit remedium, cumprimis, si subjectum aegrotans debile, ac irritabile sit, lingua impura mucosa; nec fames, nec sitis molestent, verum delassatio, artuumve cumprimis crurum et genuum dedolatio, somnolentia, abdomen expansum non tamen durum, pulsus rarus, febris horripilatione, rarius calore stipata.

In *Cancro* post operationem ad pus bonae notae provocandum adhiberi selet. (Dietrich Observatio de usu Corticis in cancero mammorum Ratisb. 1746.) Palliativum est in tristi ultimi morbi stadio, ad mortem procrastinandum.

In *Gangraena sicca* post recentissimas Observationes nunquam prodest. In humida vero teste Cel. *Frank* multum juvat interne, ac externe adhibitus. (Abr. Vater de efficacia administrandae Cinchonae ad Gangraenam. Vitteberg. 1734. — Detharding de Corticis Chinæ efficacia in gangraena et sphacelo adhuc dubia. Rostock. 1746.) Copulatur in hoc casu cum camphora, muriate ferri amoniacali, Moscho etc. Contra gangraenam senum a debilitate ortam Anglus Pott laudat Chinam cum syrupo meconii.

*Nevroses* quoque magnum sistunt Cortici campum activitatis. Nam fere in omni morbo ad *Nevroses* spectante debilitas singularis nervi, vel totius systematis nervosi, etiamsi non ab initio, solum in ulteriori morbi decursu adest. Et quidem eo tutius exhibetur, si abdomen ab omni infaretu, obstipatione liberum, debilitas vera, morbus in ipsis nervis radicatus sit, seu sit *Nevrosis* sine materia ad veterum mentem. Adhibetur itaque in *Melancholia* si ab evacuationibus nimiis, onania, adstrictione mentis originem ducat. China cum camphora, aut belladona egregie conducunt. *Convulsiones* et *Spasmi* ab atonia oborti Chinam expostulant, qua cum specificis conjungitur. In *Chorea S.* Viti floribus Zinci

jungit Cel. *Jahn*; *Werlhoff* laudat cum oleo animali Dippelii. In *Vertigine* et *Tremore*, ni congestio causam sistat, cum, *Moscho*, *Naphthis*, *Asa foetida* etc. prodest. Eximum effectum expertus est in *Tetano* Cel. *Rush*. In duobus casibus exhibuit post *vulnus*, in uno post *refrigerium*, et quidem ad *Uncias* duas per nycthemerum. Alii exhibent cum *Laudano*, et *Hydrargyro*. In *Epilepsia* summi laudant observatores, cum primis si periodum observet morbus, aut febrim mentiatur intermittentem, vel per causas multum debilitantes ut *onaniam*, excessum in *Coitu*, iram, terrorem, *Vermes* sit exorta. *Spasmi Cataleptici* saepe sanantur *China*. si magna porrigitur dosis inter duos paroxysmos.

Ex Ordine dolorum *Tussis Convulsiva* et *Colica* cum primis *Chinam* flagitant. In *tussi*: si cum Cel. *Schäffer* tria assumamus stadia, tunc in primo nunquam, in secundo raro, in tertio semper indicatur. Bene faciunt, qui antispasmodicis admiscent. Angli eum *Camphora*, et *Cantharidibus*, *Lentin* cum Extracto *Cicutae*, alii cum Extracto *Nicotianae*, *Hyoscyami*, *Stramonei*, *moscho* exhibendam svadent.

In *Colica*, donec dolores aegrum molestant, nunquam exhibeatur, verum solum, ubi hi antispasmodicis, antiphlogisticis, aut aliis necessariis dissipati sunt, solaque debilitas aegrum molestat. Exhibitetur cum *Rheo*, *Marte*, *Aluminae* etc. Cel. *Vogler* Cum creme Tartari praescribit, ita, ut ex pulv. *Cort. Chinae* Dr. sex, ex Cremore Tartari Dr. duas ordinet, unde aeger cochlearibus *Coffeaceis* sumat.

Denique experientia jubente in omni morbo periodice recurrente, aut saltem periodum aliquam observante insigni cum successu praebetur, quo pertinent dolor *Capitis* periodicus, *Vesania*, *Epilepsia*, *Catalepsis*, *Asthma*, *Prosopalgia*, *Odontalgia* periodum servantes.

Restat ut de modo *Cinchonam* exhibendi agamus, quo respectu notanda veniunt: Debita forma. 2, Justa Dosis, 3, Tempus praebitionis et Continuationis necessitas. 4, Combinatio ejus cum aliis remediis.

## De b i t a   F o r m a .

Adplicatio Corticis Peruviani variis formis fieri solet, quarum tamen recta cuilibet aegro et morbo adcomodata ad prosperum remedii effectum multum contribuit. Optima, et communissima forma Corticem peruvianum exhibendi est in *Substantia* ut dicunt, seu in pulvere alcoholisato, qui omnem Chine virtutem continet, ac cuncta Corticis principia non mutata gerit, ut cunctis praeparatis compositisve aut correctionibus preferendum esse tandem edocti sumus. „Divinum enim hocce remedium non est ita malignae effoetaeque indolis, ut curari et corrigi debeat.“ Requirit tamen haec forma propinatus fortem ventriculi reactionem, difficulter assimilatur, facileque apud debiliores oppressionem ventriculi causat, quod tamen praecavetur per additum Aetherem sulphuricum, Adhibetur cumprimis, ubi nulla subversatur diathesis inflammatoria, neque irritabilitas exaltata peccat. — Dum diarrhoeam causat, minoribus exhibetur dosibus, simulque laudanum, potus mucilaginosus propinetur. Si alvum obstipet addatur rheum, tremor tartari. Caeterum curandum, ut pulvis recens sit, cum tempore oxydetur, multumque de viribus perdat.

*Infusum Corticis peruviani aquosum frigide paratum*, lenissimum ex eodem sistit remedium, minore partium efficacium quantitate impregnatum. Continet principium extractivum, deest ei resina, et principium scytodephicum, quae ultima non nisi potracta coctione extrahuntur. Respondet aegris quorum debilitas nimia, vel sensibilitas exaltata digestionis cumprimis organa afficiens, aut opportunitas ad inflammationes reliquas Chine species nondum admittit. Paratur ex Corticis uncia una cum aquae libra una.

*Infusum Chine vinosum*, eadem ratione paratur, qua infusum aquosum, cum vino generoso; infusio tamen per horas quatvor usque sex protrahatur. Majorem continet materiae Chinaceae et resinosae quantitatem, unde etiam majorem vim medicam possidet. Exhibetur in morbis Nervorum chronicis, debilitate organorum dictatorum, in convalescentia ex morbo gravi, optime in aqua aliqua aromatica.

*Extractum Chiae frigide paratum, Extractum Chiae Garayanum, Sal essentiale Chiae,* paratur ex infuso Chiae aquoso lenissime imo temperatura atmosphaerica ad solidum evaporato. Drachma hujus extracti juxta aliquos quoad vim aequiparatur Unciae semis Chiae. Organa digestionis minime adficit, hinc debilioribus, sensibilioribusque bene datur, ob pretium tamen magnum nunc a medico vix unquam adhibetur.

*Infusum Spirituosum,* ex uncia una Corticis digesta cum alcoholis aequali quantitate, aquae vero libra una. Adhibetur in morbis chronicis irritabilitate torpida insignitis. *Cel. Chretien* pro usu externo commendat.

*Decoctum plurimum* continet de partibus efficacibus; majoribus hinc quam infusa instruitur viribus. Paratur ex Corticis uncia una cum aquae fontanae unciis sexdecim ad remanentiam dimidii cocti.

*Extractum Chiae aquosum* paratur Corticis quantitate aliqua iteratis vicibus in sufficiente Aqua fontana ad perfectam extractionem cocta. Decoctum exprimitur, colatur, et subsidendo depuratum leni Calore evaporatur, dum spissescere incipit in balneo aquae, in extracti subfluidi spissitudinem. Exhibitetur in vehiculo fluido, aut massa pilularum. Minorem dicitur habere potentiam, cum e decocto refrigerationis ope ante evaporationem materia chinacea, in sedimentum praecipitata, separetur. Infantibus tamen egregie convenit tum quod gratum sit; tum quod facilius digeratur; et alvum non stipet.

*Extractum Chiae alcoholic - aquosum, seu gummiresinosum.* Ad hoc obtainendum corticis Chiae duae partes, cum spiritus vini partibus tribus et aquae fontanae partibus novem ad perfectam extractionem in balneo aquae digeruntur. Liquor extractus, abstracto antea spiritu vini destillationis beneficio, in Extracti solidi spissitudinem evaporatur. Adhibetur in iisdem morbis, uti Extractum aquosum.

*Extractum Chiae resinosum, seu Spirituosum* ex tintura spirituosa paratur, et quidem ex China ab infuso aquoso frigido residuo. Vix usitatur.

*In America australi existit Extractum novum Corticis Peruviani,* indeque navibus Anglorum et Hispanorum advehitur; est coloris obscuri, pellucidum, consistentiae mollis, in ore facile liquescit, Chinam optimam

mam sapore, et odore prodit, in aqua fervida facile, in frigida difficilis solvitur. Parandi modus nondum innotuit.

Efficax praeparatum sistit *Tinctura Chinæ compo-  
sita*, seu *Elixir roborans R. Whyttii*, *Elixir visce-  
rale Whyttii*, quam praeter Corticem peruvianum, ra-  
dix Gentianæ, ac flavedo Corticum Aurantiorum ingre-  
ditur, spiritu vini, et aqua cinnamomi soluta. Est ro-  
borans, fortiusque stimulans.

*Tinctura Corticis peruviani volatilis*, *Lond. Fuld.*  
Est tinctura Chinæ cum spiritu salis amoniaci parata,  
qua facile caremus,

*Tinctura Corticis peruv. composita Lond.* seu  
*Tinctura alexipharmacæ Huxhami*, ex China, radice  
Gentianæ, et Serpentariae virginianæ parata laudatur in  
febri nervosa et typho putrido.

Pro infantibus habentur Morsuli Chinæ, et syru-  
pus Corticis Chinæ. Morsuli parantur ex Chinæ par-  
tibus, Sacchari duodecim, et una octava cinnamomi.  
Syrupus vero ex infuso vino cum dupla quantitate  
Sacchari.

*Vinum Chinaceum per fermentationem paratum.*  
*Cel. Fabroni* mixtum ex 12. partibus Chinæ, octau-  
ginta octo Sacchari, 90. aquae per 30. dies reliquit sub  
temperatura 24. Reaumur. Post aliquot dies fermentatio  
odore spumaque rubescente se manifestavit; post 30. dies  
vero liquor erat pellucidus, spirituosus, nimis amarus  
aromaticusque: continens materiam chinaceam, princi-  
pium Scytodephicum, alcohol, acidum aceti et pomorum.  
Plus itaque hac ratione de Chinæ extractum per infusio-  
nem s' aquosam, s' vinosa.

Jam ante aliquot annos *Cel. Lambert, Strensz* in  
Russia, *Gomez* Lissaboni experimentis demonstravere  
existere in China principium aliquod peculiare activum.  
*Pelletier* et *Caventou* ad exemplum horum ulterius so-  
llerter investigantes Chinam, in ea quam *Cinchona* con-  
daminea largitur, seu fusca, substantiam aliquam depre-  
henderunt, quam pro ea agnoverunt, quam *Cel. Gomez*  
*Cinchoninam* (*Cinchonine*) vocat. In China flava simili-  
lem fere, in multis tamen distinctam invenerunt substan-  
tiam, quam propter hanc Chininam (*Quinine*) dixer. In  
Chinam rubram inquirentes obtinuerunt Cinchoninam  
tripla tamen majori quantitate ac ex China fusca, et

Chi-

**Chininae duplo plus ac ex China flava.** — Recentissimae vero observationes docent utramque substantiam in omnibus tribus Chinæ speciebus inveniri, ea cum differentia ut Cinchonina in fusca, Chinina in flava China prævaleat.

Methodus parandi Cinchoninau et Chininam est sequens: Opè alcoholis ex China fusca omne extrahitur principium amarum; Extracto huic alcohol ope destillationis detrahitur, remanens extractum spirituosum solvitur in aqua bulliente, acido salis s. q. impregnato. Ad hanc solutionem magna additur quantitas magnesiae ustae, ut omne figuratur principium colorans liquorque evadat pellucidus, quod post aliquot minutorum coctionem evenit. Totum nunc refrigeratum filtratur, praecipitatum aqua frigida eluitur, siccatur in cubili, rursus cum alcohole bulliente tractatur, atque nunc sub refrigeratione Cinchouin crystallisatur. Est tamen materia aliqua viridi pingvi impregnata, a qua per solutionem in acido aliquo multum diluto liberatur. — Cinchoninā eadem plane ratione sed ex China flava formatur. Characteres chemici sunt: Cinchonina substantiam refert albam pellucidam, acicularum forma crystalisablem, quae solum in 700 partibus aquae solvitur, saporis vix ullius. In alcohole aut acido aliquo soluta saporem nimis amarum habet. Solvitur parva licet quantitate in oleis aethereis, pinguis et aethere Sulphuris; cum acidis unitur in salia plus minus solubilia. Sub certa temperatura evadit volatilis. In medicina usuatur sulphas Cinchoninae et sulphas Chininae; primus in aqua facile solvitur; alter difficilior.

Chinina aequa albam refert substantiam, non crystallisatur, in aqua difficulter solvitur, sapor amarus. Ejus salia sunt plus amara et colorem possident margaritaceum. In Aethere facile solvitur. Sulphas Chininae in aqua frigida difficilime solvitur. Acetas Chininae est crystalabilis: frigore difficulter in calore facilius solvitur, refrigeratum tamen in massam coit. Est actio Sulphatis Cinchoninae ac Sulphatis Chininae, quod experimenta Cel. Double, Villerme, Chomel et aliorum probant, eadem ac Corticis, imo securior, cum dosis substantiae activae tuto determinari possit. His accedit quod hac ratione in minimo volumine exhiberi queat, qua ratione optime praecaventur vomitus, diarrhoeae, Chinam in substantia adhibitam saepe insequentes.

Ex-

Exhibetur vero Sulphas Chininae et Cinchoninae a granis 2 usque 10 per nychthemerum.

*Praeparata.* Syrupus Chininae paratur ex Syrupi communis libris duabus, Sulphatis Chinini 64 granis.

*Vinum Chininae* e Vini optimi pinta una, et Sulphatis Chininae granis 12 confit;

*Alcohol vero Chininae* e Sulphatis Chininae 8 granis, Alcoholis 34 Uncia una.

Licet internus Corticis sub debita forma usus omnium securissimus sit, cum primitivam ac immediatam actionem in systematis splanchnici centrum exserat, dantur tamen casus, in quibus externa ejus ad applicatio requiritur, sub diversa forma instituenda. *Clysteribus* quidem magnam laudem tribuere non possumus: remedium enim digestu alioquin difficile intestinis crassis nec subigitur, nec sufficienter absorbetur. Majores praeterea Corticis, quae tali sub forma semper exiguntur, doses, nunc alvum pertinaciter claudunt, damnosum meteorismum, viscerumque infarctus provocant, nunc indigestae furtim expelluntur. Unde methodus febres fermentantes per anum adgrediendi jam a *Tortio* merito vituperabatur. — Refugium sisteret non nisi in illis subjectis, quae Corticem ore absumere aut absolute nolunt, aut nequeunt. Tanto minus sperandum de balneis Chinaceis, de applicatione Corticis ad carpos, de pulvere subtilissimo cuti universae recens natorum adsperso etc.

### J u s t a D o s i s.

Dosis Corticis conservata in substantia, nisi peculiaris subsit morbi pertinacia est ab Uncia dimidia ad integrum, nychthemeris spatio consumenda. Ejusmodi Dosis dividitur in 8 partes, quarum una omni hora aut secunda hora propinatur. Minores doses in febribus cum primis desideratum nonnisi tunc praestant effectum, ubi aliis aptis combinatae fuerint remediis; majores contra difficulter deglutiuntur, et stomachum gravant. In febribus, quo brevius fuerit intervallum apyreticum, eo majoribus crebriusque exhibitis utendum est dosibus; habito tamen semper respectu ad vires digestrices, ne vomitum creet, vel alvum obstipet. Infantibus Drachma una ad summum duae sufficient. — Extractum Chinæ aquosum

sum et spirituosum ad drachman unam vel duas in die exhibentur. — Ex decocto ab uno ad tria cochlearia omni hora aut bihorio porrigitur. — Extracti aquosi et spirituosi Dosis est Drachma una aut duae per diem. — Tinctura Corticis ad Drachmas aliquod propinetur.

## Tempus praebitionis et continuationis necessitas.

Tempus pro exhibendo Cortice in febribus maxime opportunum est illud apyrexiae, postquam paroxysmi exantlati omne disparuit vestigium. — Imminentibus futuri accessus prodromis ab China abstinentium esse quidam iubent medicorum. — Compertum vero habemus, quanta sit ejusdem remedii exhibiti efficacia scopo confundente. Quapropter nihil obstat usum Corticis debitissimis intervallis eousque protrahendi, donec frigus febrile potenter effectum est, nisi circumstantiae adfuerint contrariae, medici prudentia eruendae.

Damnosus, imo periculosus evadit usus Corticis durante stadio caloris, sub quo actio motus organici expansivi et circulatorii systematis rediviva, aequilibrium inter factores vitales sublatum restituere, ac nociva, vel ad minus superflua elementa variis colatoriis e corpore eliminare conatur. — Maxime damnosus est usus continuatus Corticis peruviami sub stadio critico.

Necessitas protrahendi usum Corticis peruvianiani in febribus non nisi eousque persistere videtur, quousque febriiles accessus recurrere non desinunt. Cum tamen febres intermittentes cum primis insignem proclivitatem in recidivas habeant, securius incident, qui aliquot paroxysmorum decessionem exspectabunt, quin] tamen timiditatis errore usum diutius protrahamus, quam nonnulli medici plane ad plures septimanas extendi svalent ut *Sydenham*, et *Morton*.

Certae et Stabiles regulae hoc respectu dari nullae possunt: prudentia medici plurimum dirigere debet. Abstineri tamen a Cortice facile potest, postquam quartanae unus, tertianae duo, quotidianaes tres emansere paroxysmi. In febribus tamen larvatis, perniciosis, autumnali-

nalibus, pertinacibus endemicis usum Corticis diutius faciendum svademos.

In morborum aliorum dispensatione doses Chiae dirigunt, morbi diurnitas et gravitas, cum primis vero vires digestrices. —

## Combinatio Chiae cum aliis remediiis.

Etiamsi cortex peruvianus supprimendis morbis in quibus indicatur per se solus saepe sufficere soleat, nihilominus plures in praxi occurunt casus, in queis Corticis vires mox adjuvare et acuere, mox lateralibus simul indicationibus satis facere necessario oportet.

Remediiis, quae virtutem Chiae exaltare et acuere solent, accensentur multa corpora medicata, rationali modo organismi morbosam conditionem invertentia. — Quatenus Cinchonacea tonieis, et adstringentiis, alioquin eminent viribus; ejusdem generis pharmaca vix unquam jungi solent; maximo vero cum emolumento aromaticis, nervinis, amaris, acribus copulatur uti sunt: Cinnamomum, Mentha, Valeriana Arnica, Chamomilla, Calamus aromaticus, Sal ammoniacus, Extracta amara, Vinum, Opium etc. Cel. Lyson in febribus praeceteris extollit Corticis cum Serpentaria virginiana connubium, cui jam Sydenhamus insignes tribuit vires antifebribiles (Dan. Lyson Pract. Abhandlungen von den Wechselseibern etc. aus dem Engl. Leipz). Ab hujusmodi combinatione remediorum, quae in variis Dispensatoriis notantur, ac ab agyrtis venduntur pharmaca antifebrilia composita, Electuaria, Pilulae, Essentiae, Tincturae etc. originem trahunt. — Mucilaginosa vero et laxantia remedia Corticis vires destruunt.

Aegris, qui Chiae Corticem ob idiosyncrasiam renunt, aut ventriculi incommoda patiuntur, medicamen gratius reddatur, ac digestu facilius. Ad penum similium Corrigentium pertinent Aromata grata et Vinum bonum. — Paramus in hunc finem decoctum Corticis pro feminis cum tostis Coffeae aut Cacao granis; viris vino nuptum exhibemus. Dulcia adhuc magis ingratum reddunt Chiae usum. — Si vero eodem tempore laterales

rales simul explendae essent indicationes, singula indicata casus diversitati erunt adcommmodanda. Si China alvum moveret, Aromatibus vel Opio jungatur; si Decoctum vel Extractum diarrhoeam causaret, substituatur, Pulvis. In casu contrario ubi nempe alvum obstipat, clysteribus, Suppositoriis, aut Electuario lenitivo, interpolatim exhibito, sucuerendum, et si neque haec sufficiant, Cortex Chiae cum Amarisi, Rhabarbarinis, vel et Aloeticis combinandus erit; requiritur enim, ut alvus sub usu Chiae facilis sit (Valcarenghi Diss: de usu et abuso Rhabarbari Cortici uniti. Cremae. 1748).

Si praeter morbum principalem usum Chiae expostulantem adsint infaretus viscerum abdominalium, aut Cachexia universalis, tunc eodem tempore amarorum, solventium, salis amoniaci, mercurii, Stibii aut Carbonatis barytae a *Bernardo Lorenzio* propositi usus fiat. — Excedens erethismus in infantibus, feminis. hystericis, subjectis nervosis non infrequens, Opio aut aliis anti spasmoides Cortici junctis vincitur. — Praesente vero diathesi ~~Adropica~~ Diureticis acribus, aut Stimulantibus Squilla, Junipero, Terebinthina, Spiritu nitri dulci, Vino Austriaco, vel Rhenano conimisceatur. Reliqueae complicationes laterales, quae infinitae esse queunt, prudenter medentis committuntur. —

### Chiae in febribus Surrogata.

Etiamsi a longiori jam epocha medici intenti fuerint, ut remedium invenirent, quod Cortici peruviano aequiparari, illumque superfluum reddere posset, maxime tamen hoc respectu indagines recentiori cumprimis aevi institutae fuere. Non negamus quidem sub universali hoc plurium Virorum conamine, attentionem directam fuisse ad remedia tum obsoleta, et jam oblivioni tradita, tum antiquitus prorsus ignota, quorum aliqua in febribus profligandis virtus omnino innotuit. — Tale tamen medicamen quod Chiae divinas ac vere specificas dotes in concreto possideret, ejusque usum superfluum reddere valeret, non existit, nec existet, quounque vigebit lex: *non dari duo entia perfecte similia.*

Sunt vero pharmaca, quae partim cognitis. partim incognitis et specificis qualitatibus febres fugare creduntur

tur sequentia: Arnicae radix ac flores a Cel. **IStoll** China pauperum vocata, exhibetur ad grana 15 omni hora, vel bihorio. *Radix Caryophyllatae* (ef. Buchhave observ. circa radic. Gei urbani seu *Caryophyllatae* vires etc. Kopenh. 1784.) exhibetur in pulvere ad drach. tres in sex partibus, vel in decocto ex drach. sex *Uncia* una parato. — *Cortex Angusturae* seu *crispariae* febrifugae remedium est egregium, cuius tamen usus in nostra Monarchia, cum spuria seu *Brücea ferruginea* venenata sit, interdictus est. — *Phellandrium aquaticum* (Lange die höchst heilsame und wunderbare Wirkung des Wasserfeuchels. Helmstädt 1771) datur drach. semis omni secunda hora. — *Cortex Salicis laureae* (Gunz de *Cortice salicis Cort.* peruv. substit. comment. Lips. 1787), *Cortex Hypocastani* (Turras Briefe a. d. Ital. Buchholz Weimar. 1780), *Cortex Liriodendri tulipiferi* (Hildenbrand versuch mit einem neuen Surrogat der China), *Cortex Aurantiorum* (Werlhoff opera. p. 750 — 760), *Cortex Cascarillae* eadem adhibentur dosi ut China. Eminere videntur *Fabae Coffeae* (Baldanus der Coffeh als Fieberm. in Horns Archiv vol. 8. — Grindels Erfahr. über den rohen Caffeh in Hufeland's Journal 1809) secundum recentissimas analyses, materiam continentsui generis (Coffeaceum, Coffehestoff) Chinicae summe analogam; propinatur Extractum fabarum viridium ad mentem *Grindelii* paratum. — *Colla*, seu *gelatina animalis* et *albumen ovorum Saccharo junctum* (Seguin in Hufeland's Jour. 18. B. 2. st.), Tela aranearum (Faust Empfehl. der Spinnewebenhaut gegen Wechselfieber), Calore leni siccata, dein Butyro mixta panique ilinita ad grana 30 — 40 ante paroxysmum exhibetur. *Herba Datiscae Canabinæ* Rubini medic: national Zeitung 1798), *Calcitrapae* (Figuier), *salviae glutinosae* (Annelli Centini medici sulla salvia Glutinosa Milano 1808.), *Taxi baccatae* (Brera comm. med. T. 1.) *Lepidium ruderale* (in Russia communiter usitatum) folia Oleae (Cazal), *Cortex Prinos verticillati* (Gregg), *Stipes Cynarae* Scolyini, *Valeriana* in pulvere ad Dr. semis omni secunda hora, in infusione ex *Uncia* semis parata (Hacker), *Ipecacuanha* in parvis dosibus omni media hora. *Flores Chamomillæ vulgaris*, in pulvere ad dr. semis omni bihorio. *Castoreum* ad Dr. unam ante evolutionem paroxysmii duabus horis. *Sulphur stibiatum aurantiacum*

*cum* (Theden neue Bemerk.) *Cuprum Sulphuricum*, *Mercurius dulcis* (Thomson), *Mecurius sublimatus* (Pott) *remedium Stützianum* (Burkard) *Alcalia vegetabilia* (Crol), e *Narcoticis Belladonna*, *Hyoscyamus*, *Aconitum*, *Nux vomica* commendantur.

Praeter enumerata antifebrilia potentius sistit truculentissimum venenum *Arsenicum*. Videtur usurpari coeptum fuisse, aut saltem ejus usus increbuisse circa saeculum 17, aut hoc ipso procedente, e relatione Ros. Lentitii ad Academiam Naturae Curiosorum facta. Ab illo tempore ab agyrtis plerumque in usum vocabatur, passimque vestigia ejus reperta sunt. Praecipue vero ejus usum introduxerunt: *Fowler* et *Brera*; ejus antifebrilis virtus nuper quoque ab *Heimio* multis encomiis celebrata est. — Cum tamen ad pauca grana jam cardialgiam, vomitum, gastritidem, colicam, deliria, convulsiones, et mortis adferat periculum, regulae, quas sub usu ejus sequi oportet, per incomparabilem *Hartmann* sequentes proponuntur: 1) Arsenicum ne adhibeatur, nisi in febre gravissima larvata perniciosa, aut pertinacissima, nullo mitiore remedio sananda. 2) Doses cautissime dispensandae, post intervalla sat magna repetendae semper cum vehiculo mucilaginoo vel lacteo propinandae, aut opio jungendae sunt. 3) Quamprimum phaenomena suspecta in conspectum veniunt ad antidota quantocuyus recurrentum. 4) Energia vitalis opportunitis auxiliis conservanda est.

Pro usu interno destinantur *Sales* e connubio arsenici albi cum lixiva vel soda carbonica. — *Solutio sodae arsenicosae*, seu liquor antipyreticus a *Harlesio* commendatus, cuius guttae 10. aut 15. pro adulto bis, terve exhibentur in vehiculo aliquo mucilaginoso. —

### A u c t o r e s.

I. *Chiflet* pulvis febrifugus orbis americani ventillatus 1651.

*Seb. Radi* anastasis Corticis peruviani Genevae 1663.

*Br. Zandrini* della china. Venezia 1715.

*H. P. Sulzer* Theses de Cortice peruviano Argent. 1763.

*Guths*

*Guths Samml.* die Fieberrinde betreffender Abhandl. und Nachrichten. Aus dem Engl. 1760.

*C. I. Uhland Historia Corticis peruviani medico-practica.* Tübing. 1782.

*H. Tabor* Über den Gebrauch und Misbrauch der peruvianischen Rinde Heidelberg 1788.

*Mich. Rohde Monographiae Cinchonae generis tentamen.* Fragmentum ex Universitate medica. Göttingae 1804.

*G. Fabbroni* Über die Chinarinde in neuen Journal. f. Ausl. Lit. VI. B. 2. St. N. 1.

*Ficinus Cinchonin*, medicamen efficacissimum aduersus Cachexiam e febre intermittente obortam. *Dresdae* 1816.

---

## T H E S S.

1. Respiratio pulmonum est species vitalis secretionis.
  2. Inflammatio pulmonis dextri frequentior ac sinistri, ejusque causa in structura tracheae est quaerenda.
  3. Sectio abdominalis sectioni pubis praferenda est.
  4. Non datur limes strictus inter medicamentum et venenum.
  5. Polygamia nec legibus moralibus, nec politicis conformis est.
  6. Miscela fluidorum et solidorum in variis morbis varia est.
  7. Clima temperatum sanitati humanae optime favet.
  8. Morbus verminosus specialis non datur.
-

# TH E R

ta etatit raiaga sas nraonitq' oisnigis A  
-init on rokunpol fursbunem, oisnigis C  
ta esdora studentia ni sano orpanje, B.  
-oerisnig idaq incilose ulanwolda oisnig  
-lantemallam raii rado, ja temil rado, B.  
etilisq' oisnig, tradisyon stalgis oisnig, B.  
-xam chay ni amobis, D. amobis, B.  
-temil rado, ja temil rado, B.  
-xam chay ni amobis, D. amobis, B.

UB Wien



+AM505863200